

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

CCIV.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

ignoro, sed in meum sinum deposuit quoq; suas angustias. Quem eodem modo consolatus sum, sicut Te. Et oportet eum majora experiri, qui conatur expellere Saranam regno suo, cur vicissim contra eundem non insurgeret, non modo aperta vi, sed etiam per falsos fratres. Tu igitur, ne pedem retrahat, eum hortaberis & instabis. Dominus vires suppeditabit, & opratum dabit eventum, modo in vocatione perstemus. Mearum molestiarum, adversariorum, calumniatorum, hostium, neque numerus neq; finis, ad quorum clamores & artes callum duxi. Idem vos quoq; faciatis & valetudinem vestram confirmabitis & multis perturbationibus vos ipsos liberabitis. Bene & feliciter cum honestissima tua & liberis charissimis vale, quos simul omnes, unâ cura Collegis tuis, D. Flinnero inprimis, nostro nomine reverenter salutabis. Iterum vale. Raptim Tubingæ, 24. Decembris, 75.

Tuus ex animo frater totus

Jacobus Andræ.

CCIV.

S Quanta læticia ex literis perfusus sim, facile æstimas. Et sanè & hæcenus animum meum afflixit diurnæ controversiæ consideratio, quam tibi molestissimam, Ecclesiæ & Scholæ parum frugiferam esse sciebam. Nec zamen unquam spem bonam abjeci, daturum Dominum, te in vivis conservato, ut sine tandem optimo terminaretur, nec sine singulari providentia Domini factum est, ut interveniret excitatus à D. Huberto paroxisumus, quo plenius fundamenta totius certaminis cognoscerentur, quæ non perinde omnibus satis perspicuè videntur fuisse intellecta, ac ne ipse quidem bonus Senex, licet à me per literas admonitus, satis animadverterit, se, dum sibi visus est pro Buceri nomine & ejus doctrina fideque pugnare, contra optimi Doctissimique Viri mentem asserere. Quæ, si viveret, vehementer sit improbaturus. Disputavit idem Bernæ An. 28. quæ paulò post longè aliter explicavit, nec retractare inconsultius tradita eum puduit. Adde quod colloquium cum Tigurinis habitum plenius exprimat ejus de hac controversia sententiam. Bene ergo habet, quod Capituli autoritate examinis formula confirmata est, quam etiam posteri retineant, & quieturum deinceps Conradum arbitror. Sed & cum Domino Sturmio ac suis tantò erit firmior reconciliatio facta, posteaquam pridem sincerae doctrinæ asserta professio ampliorem nunc restificationem habet, quam vix in hoc tanto totius Presbyterii consensu quisquam niteretur revellere. Exultant mecum & laudant Dominum charissimi collegæ mei, Coccius, Grynæus, Fieglinus, qui te amantèr & reverenter resalutant, felicemque hujus

Anni

A. 1576.

PARS QUARTA

533

Anni periodum tibi tuisque ex animo præcantur. De Casimiri & Condæi expeditione multi multa nunciant, nec pauci plurima sibi pollicentur. Ego etsi nolim avis esse sinistra, metuo, ne præsumptio sit viribus major, nec ea ratione velit Regnum suum Christus stabilitum, defensum & propagatum. Utique Tyrannus impius & fraudulentus virgam DEI promeritam habiturus sit, qua vindicetur improbitas immanitasque tanta. Si quid habes ea de re, quæso significa, & saluta meis verbis uxorem, familiamque tuam, cumprimis Licentiatum Erasmum, Generum Gnyphanium, Dn. D. Pappum, Sturmium, totumque Sanctum Presbyterium, cujus præcibus me cupio unice commendari. Scripsi Basileæ, Anno 1576. 4. Januarii.

Tuus ex animo

Sulcerus.

CCV.

(Erasmio Marbachio.)

Salutem per Christum. Clarissime vir, frater colende.

Majorem in modum delectatus sum literis tuis, superiori anno ad me datis, quibus amorem tuum erga me singularem multis argumentis declaras. Ego sane fateor, tanto favore me indignum esse, sed tamen cum præter omne meritum meum, tam ardentem me diligas, pro virili mea operam me daturum promitto, ut hanc tuam erga me φιλίαν, jucunda semper recordatione mecum usurpem, & mea vicissim tibi studia, & animum ad debita benevolentiae officia paratissimum declarem. Cæterum ex animo tibi gratulor de professione Theologica, in celeberrima Academia vestra tibi oblata, & DEUM toto pectore oro, ut mentem & linguam tuam ad nominis sui gloriam & auditorum salutem dirigat, & te salutare organon Ecclesiae suae efficiat. Status Scholæ & Academiae nostrae mediocri est. Nova, quæ habemus, intelligo, per D. Davidem perferibi. Expectamus confessionem Wirtebergenſis Ecclesiae de præcipuis articulis in Ecclesia controversis. Utinam ea omnibus satisfaceret, & optatam nobis pacem restitueret. Si ad fratrem L. Philippum scripseris, oro ut meo nomine officiosè ac reverenter eum salutes. Salutem etiam clarissimo Domino Doctori, Patri tuo charissimo, plurimam ascribo. Et se denique æterno DEO præcibus meis commendo, ut diu te superstitem Ec-

Xxx 3

cle-